

MENSE MAIO.

Sempronius parochus, in concione de usuris, affirmat nunc nullum esse inquietandum propter quantascumque usuras ab ipso perceptas, quia lex quæ illas deficiebat abrogata fuit, et quia Sancta Sedes respondit nullum esse inquietandum, dummodo paratus sit stare mandatis Sedis Apostolicæ, si unquam statuat aliquid esse restituendum. Quæritur :

- 1^o *Quinam est genuinus sensus variarum responsionum Sanctæ Sedis circa usuras ?*
- 2^o *Quodnam interesse percipi possit tuta conscientia, in hac regione ?*
- 3^o *Quid de sententia Sempronii ?*

Quæritur 1^o *an prima ablutio corporalium, purificatoriorum et pallarum fieri possit a clericis qui non sunt subdiaconi, vel a monialibus ; 2^o quomodo, et a quibus fieri debeat hæc ablutio ?*

MENSE JULIO.

Gelasius olim mercator ditissimus, cessionem bonorum coactus est facere tempore belli et pestis. Omnia bona ejus creditoribus assignata sunt, qui ei dimissionem et condonationem juxta formam legalem scripto dederunt. Nunc autem per industriam, et mediante bona fama, divitiis affluere iterum incipit, et a confessario suo querit :

An teneatur in conscientia qui bonorum cessionem fecit bona vel mala fide, sed juxta omnes præscriptiones legis, solvere integraliter debita sua, si postea ad sufficientem fortunam evehatur ?

Sempronius parochus, eum jam in missa solemnè die dominica processisset usque ad offertorium, animadvertit lapidem altaris unici confectum esse in plures partes. Missam nihilominus perficit, et sequenti die missam defunctorum celebrat, præsertim corpora ejusdem parochiani quem concives pluris aestimabant, ut patet magno concursu in ejus exequiis. *Quid in casu ?*